

SECTIO TERTIA.

Materiae in Simplicibus fermentando evolutae.

INTER liquores qui fermentando parantur, numerantur praecipue Vina, Cerevisiae, Aceta. Omnia haec venalia vulgo prostant, et apud nos facilius minorique sumptu emuntur quam parantur. Hic, tamen, exempli gratia, attulimus Vinum ex Hydromelite.

Vina autem et cerevisiae aut aceta, quae admixtis variis, etiam inter fermentandum, medicantur (ut est liquor vulgo notus sub nomine *Laudanum, abb. Rousseau*), alio loco, scilicet inter vina et aceta medicata locum obtinebunt.

HYDROMEL VINOSUM SEU VINUM EX HYDROMELITE.

Rj. Mellis albi exquisiti 2,500
 Aquae communis tepidae 12,500
 Fermenti ex cerevisia mollioris 64
 Solutis in aqua, fermento et melle, liquor doliolo exceptus ad fermentandum reponatur sub aeris tepore circiter 15 ad 20 r. (19-25 °c.), usque dum odorem vinosum acquisierit. Tunc liquorem decapula et serva.